

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De geomantia; de arte geomantiae - Cod. Karlsruhe 1769

[S.l.], [um 1600]

Septima regvla

[urn:nbn:de:bsz:31-250045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-250045)

in diem Iouis desinere colliges, & sic in
cæteris procedes.

USUS REGULAE.

COGNITIS cuiusque mensis ca-
lendis, facile iudicari poterit, quorus
dies deinceps agatur, si hebdomada à
primo die elapsæ animadvertantur, &
similem diem secundæ hebdomadæ, es-
se octauum mensis, tertix, esse 15, quar-
tæ, esse 22, quintæ, esse 29, obseruetur: sic
enim nullo negotio dies interiecti in-
uenientur.

SEPTIMA REGULA.

Qui menses triginta dies, qui
triginta & vnum sint
sortiti.

In sinistra manus digitis, ut fert sequens
figura, dispositis, duodecim menses ordi-
ne percurrantur, initio numerationis
facto à Martio, qui in pollice collocabi-
tur, cæteros ad Februarium vsque in re-

C 5

liquis digitis persequendo. Qui ergo men-
 ses in digitos erectos incident, erunt unius
 & triginta dierum: qui in contractos,
 triginta tantum diebus constabunt,
 Februario dempto, qui semper
 28, aut 29 diebus ab-
 solvitur.



ALIA VIA AD IDEM
inveniendum.

IN sinistra manus pollice & indice iux-
ta formam sextæ regulæ additam ere.
Etis singuli menses Ianuario (qui primus
est) posito in pollice sigillatim numeretur,
præter Iulium & Augustum continenter
in pollice collocandos: tum qui in pollicem
incident triginta diebus & vno constabunt
reliqui verò (excepto Februario) triginta
tantum habebunt.

EXPLICATIO HVIVS
regulæ qui nam menses in pollicem,
qui in indicem incurrant, o-
culis subiiciens.

POLLEX.

- 1 Ianuar.
- 3 Martius
- 5 Maius
- 7 Iulius
- 8 Augustus
- 10 October
- 12 December.

INDEX.

- 2 Februar.
- 4 Aprilis
- 6 Iunius
- 9 September
- 11 Nouember

RATIO CUR ALII

*mensēs plures: alij pauciores
habeant dies.*



IVLIVS Cæsar anni emendatione suscepta, quū ex Mathematicis suis intelligeret annum solarem quinq; diebus & sex horis superare duodecim menses quorum singuli 30 diebus tunc constabant, hos 5 dies imparibus mensibus (nempe primo tertio, &c.) inferere operæ precium esse existimauit, idq; libentius fecit, quod Quintilem sibi natalitium, ideoque Iulium à se denominatum ex numero imparium esse videret. Sed quoniam deerat vnus dies, quo minus sex menses impares imparem etiam dierum numerum acciperent, illum à Februario detractum sexto mensi impari adiunxit, eumque bissextili compensauit. Augustus postea Iulium imitatus, & ipse mē-

sis

sis in quo natus erat, nomē mutauit, quem Sextilem antea vocatum, Augustum à se nuncupari voluit. Et ne Iulio mense dierum numero inferior esset, vnum à Februario similiter demptum ei adiecit. Verùm ne hac ratione tres continui menses (Iulius Augustus & Septēber) 31 diebus constarent, satius esse duxit sequentium mensium numerum dierum immutare. Itaque vno à Septembri vnoq; à Nouembri imparibus mensibus sublato die, Octobrem & Nouembrē auxit.

Hac est causa cur Iulius & Augustus continui menses vno & triginta diebus cæteri nonnisi alternatim totidem complectantur.

THO. MONFETI LONDINATIS Med. Doct. ad lectorem

ἔπιγραφή.

Qui tuto sulcare tumidum cupis mare,
 Qui iam matura mala non male legere,
 Indereq; viti veteri pro sapiam nouam,
 Hortosve ut alter colere Vertumnus tuos:
 Qui nocte Lucidâ vehere arma bellica,
 Atque per insolitas ducere armatos vias:
 Qui (Sisyphi illius more) frustrari inferos;
 Et à cruentis ædibus Proserpine,
 Arte Panacæa surripere humanum genus
 Emiteris, Hunc, si forte legisti, librum
 Relegito: nam qui poeniteat legisse bis,
 Quod tibi prodesse semper & multum potest.